



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916



INSTRUCTIONIS

SACERDOTVM,

LIBER VII.

Quid sit matrimonium.

CAPVT I.

HOC vltimo instructionis huius libro, de vltimo sacramento agendum est, puta, de matrimonio. Ante omnia autem opus est, quid sit, statuere. Videtur autem sic posse definiiri. Est *contractus viri & femine legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, gratiæ spiritualis collatiuus.*

In hac definitione aliquot sunt partes.

Prima est, *contractus*: hoc enim sacramentum ab alijs differt in eo, quod istud est contractus quidam naturalis inter duas personas, non quilibet, sed virum & feminam; ob id, additur prima pars, *viri, & femine*. At quia non omnis vir cum qualibet femina potest hunc tractare contractum, sed sunt multa impedimenta, de quibus statim dicemus, ob id dictum est in definitione, *legitimus*. Et rursus, in quarta parte describitur, circa quid versetur iste contractus, & dicitur, quod per ipsum vir accipit potestatem super corpus feminae, & femina accipit potestatem super viri corpus, in his, quæ ad vitam communem, & filiorum procreationem pertinent. Dicitur autem, *traditur*, de præsentem: nam cum sit solum promissio quædam futuræ traditionis, tunc non matrimonium, sed sponsalia dicuntur. Vltima pars est, *gratiæ collatiuus*: non enim matrimonium est purus contractus, sicut venditiones, locationes, mutua, & alia huiusmodi, sed est etiam sacramentum, ob id gratiam dignè suscipientibus confert, sicut vnum ex alijs sacramentis: in quo multum errauit Duran. 4. distinct. 26. quæst. 3. qui dicit matrimonium non esse sacramentum, sicut

vnum ex alijs, nec gratiam conferre ex opere operato suscipientibus, quod etiam dicit Gloss. 1. qu. 1. cap. quicquid sed ista est hæretica sententia reprobata in Concil. Trid. sess. 24. can. 1. vbi statuitur matrimonium esse vere, & proprie sacramentum, vt vnum ex alijs: & sess. 7. can. 6. & 7. vbi statuitur, quod debet sacramentum esse gratiæ collatum, & conferre dignè suscipientibus. Hic tamen notandum est multum differre matrimonium in lege Evangelica inter fideles, & inter Paganos factum; est enim triplex discrimen.

Primum est, matrimonium infidelium est purus contractus naturalis, non tamen est sacramentum; immò in lege naturæ, & lege Iudaica erat solus contractus: at inter fideles in lege Christi, est etiam sacramentum. Christus enim contractum ipsum naturalem ordinauit in sacramentum: vnde in Concil. Trid. sess. 7. determinatur, omnia septem sacramenta à Christo instituta fuisse.

Hinc sequitur secundum discrimen, quod extra Ecclesiam contractus hic non dat gratiam contractantibus ex opere operato, nec dabat illam in lege naturæ aut veteri: at in lege Christi dat gratiam, quia sacramentum est.

Tertium discrimen, Actus coniugalis extra Ecclesiam non est meritorius, sed tantum est licitus: Infideles enim qui rectè matrimonium contractant, non peccant in copula carnali: at verò fideles, si in gratia sint, & ob debitum finem actu hoc vtantur, merentur in ipso actu, sicut in alio bono opere, vtdicit S. Thom. in addit. q. 46. art. 6. Tunc autem est debitus finis, quando actus fit ex iustitiæ zelo & religione, vt homo faciat id, ob quod, & in quod matrimonium est institutum: in quo fuit hæresis Manichæorum, qui nuptias damnabant: dicentes talem actum esse peccatum mortale: sed damnata est hæresis in Concil. Florentin. & cap. ad abolendam, de hæret. Hinc patet quid sit matrimonium.

De causis matrimony.

CAPVT II.

Quatuor causæ sunt in matrimonio; finalis, efficiens, forma, & materia. Finis matrimonij triplex est. Primus est, bonum prolis, puta, vt filij procreentur, procreati educentur, educati instituantur.

Secun-

Secundus est, in remedium concupiscentiæ: homo enim post originale peccatum multum proclivis remansit in actum carnis. Instituit ergo Deus matrimonium, ut homo concupiscentiæ aliquod remedium haberet, possetque absque peccato talem actum exercere. Et hoc est, quod dicit Paulus 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere, tamen propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaqueque suum virum habeat.* Unde status conjugatorum bonus est, & in eo saluus potest esse homo, si recte iuxta statum viuat, tamen perfectior est status cælibatus, ut determinatur Concil. Tridentin. sess. 24. can. 10. & oppositum dicere, esset incidere in hæresim Lutheri.

Tertius finis est, mutua obsequia viri & vxoris: homo enim indigens factus est, nec potest vir sibi in omnibus providere, nec sola mulier, at simul uterque coniunctus sibi in necessarijs providet. Hic est finis matrimonij. Efficiens causa sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam; at verò ut sacramentum, tum Deus est causa principalis, & minister est causa instrumentalis, sicut in alijs sacramentis. Materia est consensus interior vtriusque, quo consentiunt in unionem quandam mutuam. Forma autem sunt signa exteriora, verba, aut nutus, aut alia huiusmodi, quibus exprimitur consensus, siue fiant per se, siue per Procuratores. Hæ sunt causæ in matrimonio: tamen notandum est discrimen inter eas. Finis non est necessarius in actu in contrahentibus; quamvis enim intendant contrahere ob malum aliquem finem, matrimonium erit, licet peccent sic contrahentes: finis enim prædictus triplex, ut supra diximus, est ipsius matrimonij ex se, & ex institutione sua, non ex parte contrahentium. Minister ante Concil. Trid. non erat necessarius, quia poterat esse verum matrimonium sine ministro; at vero sess. 24. cap. 1. de reformat. est adnullatum matrimonium clandestinum; & statuitur, ut, nisi adsit Ordinarius vel Curatus, aut sacerdos de ipsorum licentia, & ad minus duo testes, tunc nullum sit matrimonium. Dico igitur, quod pertinet ad essentiam matrimonij minister cum testibus, at ante non pertinebat. Reliqua duo semper fuerunt necessaria. Ad matrimonium enim non est necessarius consensus vtriusque: nec sufficit vnus, sed debet esse amborum, alias non est matrimonium: Rursus est necessarium signum aliquod sensibile, quo exprimat talis consensus; aliter non est matrimonium, licet sit consensus; sicut nec est matrimo-

nium, quando est signum exterius, & non est interior consensus: quamuis hoc secundum in foro exteriori reputetur matrimonium, qui presumitur consensus interior, sed vere coram Deo non est. Ecclesia tamen iudicat de exterioribus, ob id reputat pro matrimonio, non tamen in foro interiori confessionis, quod vocant forum poli, seu forum Dei. Hac de causa matrimonij.

De impedimento erroris, & conditionis.

CAPVT III.

Impedimenta, quæ impediunt contractum hunc matrimonij inter virum & vxorem, sunt in duplici differentia. Quædam sunt talia, quæ non solum vetant quominus attentetur matrimonium, sed, etiam si attentatum fuerit, nullum est matrimonium, & dicuntur impedimenta impedientia contrahendum, & dirimentia contractum. Quædam alia sunt, quæ prohibent ne contrahatur, tamen, si contractum fuerit, tenet, & est verum matrimonium; peccauit tamen, qui intentaui contrahere contra impedimentum. De impedimentis prioris generis, quæ nullum faciunt matrimonium, etiam si attentatus sit contractus, loquendum est prius: hæc autem sunt multa, quibusdam verbis contenta, quæ talia sunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,

Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.

Si sis affinis, si forte è coire ne quibus.

Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

Singula horum suo ordine sunt explicanda.

Primum impedimentum est, erroris. Potest autem error & deceptio esse in duobus; aut in substantia personæ, puta, cum coniux putat alterum esse talem personam, puta Petrum, & non est, Mariam, & non est; sicut Iacob putabat esse Rachel, & erat Lia. Aut potest esse error in qualitate personæ, vt, cum putat, quod sit diues, nobilis, virgo, & non est. Iuxta hanc distinctionem.

Dico primò, Error in qualitate personæ non dissoluit matrimonium: v.g. si quis duxit aliquam, existimans esse virginem, & non erat, matrimonium tenet. Rursus, si quæ nupit alicui putans esse nobilem & diuitem, & non erat, licet erroris

causa

causa fit ipse coniux, quia se talem esse mentitur, nihilominus matrimonium est verum.

Dico secundo, Error in substantia personæ dirimit contractum: verbi gratia, Maria nubit Petro, existimans esse Ioannem, non est matrimonium; & similiter ex parte viri, si error fit circa personam fœminæ. Vtraque propositio habetur, 29. q. 1. cap. 1.

Dico tertio; Aliquando error videtur esse circa substantiam, & est circa qualitatem; aliquando fit è contrâ: v.g. si qua nubat alicui, putans esse filium Ducis, aut primogenitum, tunc iste error est examinandus: nam potest esse substantiæ, si mulier determinabat Ducem, & patrem, putâ, quia putabat esse illam personam, quæ est filius talis Ducis; aut illum, qui est primogenitus talis patris, & tunc nullum est matrimonium: quod si ipsa considerabat in generali Ducem, & patrem, putâ, putans illum esse filium Ducis, sicut putabat esse nobilem, aut diuitem, sic & primogenitum, tunc error est in qualitate, & non impedit. Vide Nauar. sum. cap. 22. num. 32.

Secundum impedimentum est conditionis. Circa quod sunt notandæ quatuor propositiones, per quas resoluuntur, quæ in hac parte accidere possunt.

Prima est; potest esse matrimonium inter seruos inter se, & inter liberos, & seruos: verbi gratia, potest seruus cum serua, vel libera cõtrahere, vel serua cum libero, vel cum seruo. Prior pars, de seruis inter se habetur de cõiugio seruorũ. c. 1. Posterior pars, de seruo cum libera, habetur 29. quæst. 2. cap. si quis liber. Non solum autem tenet matrimonium annuentibus dominis seruorum, sed etiam ipsis contradicentibus, aut ignorantibus, licet cum discrimine: nam, cum tale matrimonium ex dominorum voluntate contractum est, non potest dominus vendere seruum in locis, vbi impediatur vita coniugalis: at verò cum factum est, ipso ignorante, vel contradicente, tunc potest vendere, quamuis non debeat id facere, absque graui necessitate; sed si faciat, non ob id mortaliter peccabit. Numquam tamen potest impedire thorum illorum, dum præsentes sunt.

Secunda propositio: quoties intercedit error conditionis, tamen non fit deterior, aut melioratur conditio errantis, matrimonium tenet: ver. gra. serus ducit seruam, putans esse liberam, matrimonium tenet, quia non fit deterior conditio errantis. Similiter si serua nubat seruo, putans esse liberum.

Rursus, seruus ducit liberam, putans esse seruam; vel serua nupfit libero, putans esse seruum, adhuc est matrimonium, quia melioratur conditio errantis in conditione. Ita habet sententia communis, quam tenet S. Thom. 4. d. 36.

Tertia propositio, quando deterior fit conditio errantis, non tenet matrimonium: ver. gra. liber ducit seruam, putans esse liberam, aut libera nubit seruo putans esse liberum, non est matrimonium. Ita habetur c. ad nostram, de coniug. seruo. Limitatur ista propositio à Richardo. 4. d. 39. quest. 1. artic. 1. & Nauarr. cap. 22. num. 33. nisi qui errat, sic contrahat, quod esset patatus contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis.

Quarta propositio: si, cognita deteriori conditione post contractum, iterum habet copulam errans affectu maritali, est matrimonium, saltem in foro exteriori, ita habetur cap. 2. de coniug. seruorum: ver. gra. liber duxit seruam, putans esse liberam, non est matrimonium, postea sciuit esse seruam, & affectu maritali accessit iterum, est matrimonium. Hic tamen aduerte duo.

Vnum est, quòd, si post contractum matrimonium cum ista ignorantia dominus manumittat seruum vel seruam, adhuc non est matrimonium, nisi, cognito errore, ille alius iterum consentiat, aut accedat affectu maritali: ver. gra. liber duxit seruam, putans esse liberam, dominus, hoc cognito manumittit seruam, cum qua iterum liber etiam affectu maritali habet copulam, adhuc non est matrimonium, donec error auferatur, & sit nouus consensus aut copula cum maritali affectu Ita habet Rosella. v. impedimentum 3. §. 2. & Nauarr. cap. 22. num. 33.

Alterum est, ex eodem Nauarr. quòd si liber sciat impedimentum conditionis post contractum, & velit adhuc contrahere, non fit matrimonium, nisi de nouo veriusque accedat consensus: potestque alter nolle, &
sic nullum erit matrimonium.

De impedimentis voti, & cognitionis.

CAPVT IIII.

Tertium impedimentum, est votum, non quodcumque, sed solenne, & Religionis per Ecclesiam approbatæ, vt etiam est votum simplex religiosorum Societatis emissum exacto biennio tyrocini; hoc enim dirimit contractum; vt, si monachus intentet contrahere post professionem. Notat Sylu. verb. matrimonium, & §. 5. quod non quodcumque votum, etiam Religionis approbatæ, dirimit contractum; nam votum tertij ordinis Dominicanorum, & Franciscanorum non dirimit: hoc etiam habet votum solenne ordinis maioris, vt inferius dicemus.

Aduerte autem, quod votum hoc non solum impedit, & dirimit, sed etiam excommunicatus est lata sententia clericus, & monachus, qui post votum solenne in ordine, vel religione emissum contrahit; quæ excommunicatio habetur Clemen. i. de consangu. & affini. & est Episcopo absolutio reseruata. Impedit autem non solum votum solenne expressum, sed etiam tacitum, quod fit in religione post annum probationis, per hoc, quod quis actum professi facit, ac se vt professum gerit.

Quartum impedimentum est cognatio. Est autem triplex cognatio, spiritualis, legalis, naturalis. Spiritualis contrahitur in susceptione sacramentorum duorum, Baptismi, & Confirmationis. Hæc autem cognatio spiritualis, secundum ius antiquum, quod habetur c. i. de cognat. spirituali, contrahitur tripliciter, seu triplex est.

Vna est paternitatis, & hæc est inter baptizantem, & baptizatum, & inter susceptores, & ipsum baptizatum. (Idem dicimus de Confirmatione) non enim valet matrimonium inter istos, puta baptizantem, & baptizatum, susceptorem, seu patrinum, & ipsum baptizatum, quia est cognatio paternitatis: sunt enim patres spirituales.

Altera est comaternitatis, & hæc contrahitur inter baptizantem, & patrem, ac matrem baptizati, & inter susceptores cum eisdem parentibus baptizati: imò vxor susceptoris, licet non suscipiat, si est post copulam; contrahit cognitionem eandem, quam maritus contrahit.

Tertia est inter filios legitimos, & naturales baptizantis, & baptizatum, & inter filios etiam naturales, & legitimos susceptorum, & baptizatum: similiter de filiabus, quæ dicitur confraternitas. In his omnibus est impedimentum hoc, secundum ius antiquum, tamen Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione limitauit, & statuit tria.

Primò, aufert cognationem confraternitatis: unde, iam nõ est impedimentum inter filios susceptorum, aut baptizantis cum baptizato.

Secundò, statuit, ne sint plures duobus susceptibus: quòd si sint, non potest cognatio contrahi, nisi cum duobus, quos nominauerint parentes baptizati, qui debent in libro scribi, & hi contrahunt cognationem cum ipso baptizato, & patre, ac matre baptizati. Similiter eandem contrahit baptizans.

Hinc fit tertio, quòd susceptorum vxores, cum ipse nõ suscipiant, non contrahant cognationem cum baptizato, nec cum parentibus ipsius. Hic vnum nota, quòd cum aliqui sunt patrini, & mittunt procuratores ad suscipiendum, ipsi non contrahunt cognationem, vt habent Panor. de cognat. spiritali c. veniens, & Ioan. Andr. c. potest quis, de reg. iur. in 6. ipsi procuratores tamen contrahunt, si intendunt contrahere, vt habet Armilla. ver. matrimonium, §. 12.

Legalis cognatio insurgit ex adoptione, seu arrogatione, qua quis alienum filium recipit in suum. Hæc autem habet tres gradus.

Primus est inter ipsum adoptantem, & adoptatum, ac adoptati filios, & nepotes, vsque ad quartum gradum: adoptans enim non potest contrahere cum aliquo horum.

Secundus, inter adoptantis filios, & ipsum adoptatum. Aliqui volunt omnes filios, etiam naturales adoptantis contrahere cum adoptato hanc cognationem; at Innoc. & Hostien. c. vnic. de cognat. lega. volunt, legitimos solos contrahere cognationem.

Tertius gradus est inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem, & vxorem adoptati. Hi gradus habentur de cognatione lega. c. vnic. Est tamen discrimen: nam secundus non est perpetuum impedimentum: non enim durat, nisi filijs existentibus sub patris potestate; mortuo enim patre, aut facta emancipatione, aut si adoptatus non est in adoptantis potestate, tunc cessat inter eos impedimentum.

Primus verò, & secundus gradus sunt impedimenta perpetua, nisi fiat dispensatio per Papam. Alius gradus non est præter istos. Vnde, duo filij adoptati, puta filia, & filius, possunt contrahere, nisi aliunde habeant impedimentum. Rursus potest adoptans cum matre adoptati contrahere, vt habet Sylue. ver. matrimonium, §. 8.

De cognatione naturali, seu consanguinitate.

CAPVT V.

Tertia cognatio est naturalis, quæ secundum generationem carnalem consideratur; ob id, consanguinitas dicitur: est enim vinculum multorum ab vna stirpe descendentium. Est autem notandum, in generationibus duas considerari lineas, seu ordines.

Altera linea dicitur recta, secundum quam multi ab vno descendunt, tamen inter se vnus ab altero procreatus est; vt pater, filius, nepos, pronepos, &c.

Altera est transversalis linea, secundum quam multi ab vno descendunt, tamen non veniunt vnus ab altero; vt pater, filius, ex vna parte, & alter filius ex altera, qui sunt duo fratres, & filius vnius, & filius alterius fratris, & sic consequenter. Ad cognoscendum autem qui, in quo sint gradu, sunt ante oculos tres habendæ regulæ, quas communiter ponunt Summittæ.

Prima est pro linea recta. Tantus est numerus graduû, quot sunt personæ inter personam propositam, & communem stirpem, ipsis extremis computatis, & adempta vna: v.g. volo scire, in quoto gradu sint pater & filius, tunc, quia nulla est persona intermedia, sed solum duæ extremæ, vna dempta, manet vna, & sic erunt in primo gradu. Rursus, volo scire in quo gradu sint auus, & nepos, computo extrema, quæ duo sunt, & intermedium vnum est, puta pater nepotis, & filius aui, quæ faciunt tres personas, quarum vna dempta, manent duæ; erunt ergo in secundo gradu. Consequenter pronepos cum proauo erit in quarto, & sic de singulis.

Secunda regula, pro linea transversali: propositis duabus personis ab vna radice descendentibus, sed non inuicem, in quoto gradu, altera est cum radice communi, in tanto sunt

inter se: ver. gr. sunt duo fratres vnius patris, volo scire, in quoto sint gradu, considero, in quo vnus est cum amborum patre, & per primam regulam sunt in primo pater, & filius in eodem ergo erunt duo fratres inter se. Rursus, volo scire, duo filij duorum fratrum, in quoto sint gradu; considero in quoto sint gradu cum radice communi, scilicet auo, & per primam regulam inuenio, auum, & nepotem esse in secundo: erunt ergo illi duo nepotes filij fratrum diuersorum in secundo; & sic consequenter.

Tertia regula, adhuc pro linea transfuersali: propositis duabus personis ab vna communi descendentes, sed non iniucem, tamen vna est propinquior illi radici, altera remotior, sunt istæ duæ inter se in eo gradu, in quo erat remotior. Habetur ista regula, cap. finali, de consang. & affinit. v. g. volo scire, in quo sint gradu filius vnius fratris, & nepos alterius fratrum per primam regulam, vnius fratris filius cum auo est in secundo, at fratris alterius nepos est in tertio cum illo suo proauo; idem enim vnius auus, alterius est proauus: erunt ergo illi duo in tertio: nam remotior gradus trahit minus remotum. Exempla horum sunt facilia: Hæc dicta sunt secundum canones. Leges ciuiles aliam seruant computationem, quæ nostro proposito non multum conducit. His ergo constitutis, illas personas, quæ sibi sunt coniuncta intra quartum gradum inclusiuè, non posse contrahere, habet c. non debet, de consang. & affinit. Olim autem septem gradus erant prohibiti; iam verò restrictus est numerus vsque ad quartum. Quando vero duæ sunt coniunctæ in quinto, licet ex vna parte sint coniunctæ in tertio, vel propinquiori gradu, etiam in primo, vt dicit Sylu. verb. matrimonium 8. §. 5. tunc possunt contrahere. Intra quartum vero, peccatum est contrahere, & contractam dirimitur, & sunt excommunicati scienter sic contrahentes. Clement. i. de consanguini. & affini. & excommunicatio est lætæ sententiæ, sed Episcopalis. Vnum hic notare oportet ex Panorm. cap. quod dilectio, de consanguini. & affini. quod si aliqui sint in quarto ex vna parte, ex altera in secundo, vel tertio, & petatur dispensatio à Papa pro quarto, non narrato gradu propinquiori, quod tenet dispensatio; nam illi verè sunt in quarto: nam iuxta regulam tertiam ratio habenda est remotiorum. Addit etiam Sylu. ver. matrimonium 8. §. 5. nota 6. cum conceditur alicui facultas, vt dispensetur in quarto, illi conceditur virtualiter, vt dispensetur in quarto coniuncto cum gradu

propinquiori ex altera parte. Aduerte autem, quod diximus, usque ad quartum gradum tantum esse prohibitum matrimonium, esse intelligendum de linea transversali: nam in recta linea numquam licet, nec valet matrimonium in gradu remotissimo, ut tenet Sylu. cum communiori sententia; quamuis vix contingat matrimonium propter breuitatem vitæ.

De impedimento criminis.

CAPVT VI.

CRimen, quod impedit matrimonium, est adulterium, & homicidium, & vnum alteri mistum. Hoc autem cōtingit in quatuor casibus.

Primus est, cum vnus coniugum conuenit cum altero, ut occidant alterum coniugum, ut possint inter se contrahere, tunc, si occidant, illi non possunt contrahere. Vbi nota, quod non sat est velle occidere, sed debet esse realis occisio; nec adhuc ista sufficit, sed opus est, ut intentione hac occidant, id est, ut contrahant: quamuis Caiet. ver. matrimonium, dicat sufficere occisionem; sed communis opinio tenet, requiri quod fiat ab vtroque, vel ab vno altero, consentiente, & hac intentione. Iste casus habetur c. laudabilem, de conuersione infidel. Et procedit hoc impedimentum, quamuis coniux occidat coniugem infidelem, vel occidere faciat, ut conuertatur ad fidem, & contrahat eum fideli: tunc enim non potest cum criminis consorte contrahere.

Secundus est, cum vnus coniugum occidit alterum, per se, vel alterum, ut contrahat cum adultero; quamuis adulter non sit consors, aut confcius criminis: similiter si adulter occidat vnum coniugum, ut contrahat cum altero, & hoc ignorante. Vbi nota, quod requiritur occisio cum hæc intentione, contra Caiet. tunc non potest esse matrimonium, ut habetur c. super hoc, de eo, qui pol. per adult. Aduerte, esse casum distinctum a præcedente: in priori enim, nõ interuenit copula adulteri, sed occisio ex pacto vtriusque; in posteriori verò requiritur copula, & tunc sufficit quod adulter, vel adultera occidat, etiam altero ignorante.

Tertius casus est, cum vnus coniugum committit adulterium promittit ei, cum quo adulteratur, se contracturum post

obitum

obitum conjugis. Quando ergo intercedit promissio matrimonij inter adulterum, & adulteram, cum copula, siue antecedenti, siue consequenti promissionem, tunc est impedimentū, vt contrahere nequeant; vt habetur de eo, qui dux. vxor. quam polluit, & c. significasti.

Quartus casus est, cū vnus coniugum, qui per verba de presenti contraxerunt, matrimonium cum alio contrahit etiam de presenti, & habent copulam, tunc etiam, mortuo priori coniuge, isti non possunt contrahere. Sed aduerte, quod sunt duæ conditiones necessariae, vt sit hoc impedimentum.

Prima est, vt intercedat, vel intercesserit copula cum secunda, aliàs, non est impedimentum.

Secundum est, quod vterque sit conscius criminis: si enim alter ignorabat esse coniugatū, tunc non est impedimentum. Habetur hic casus, c. propositum: & cap. veniens, de eo, qui dixit, quam polluit per adulter. continetur impedimentum hoc criminis. Et hæc satis de hoc.

De impedimento disparitatis cultus.

CAPVT VII.

Quatuor sunt notanda circa impedimenti huius intelligentiam.

Primum est, non baptizatus non potest contrahere cum baptizata; nec non baptizata cum baptizato; & si contrahant, nullum est matrimonium, 28. quæst. 1. can. Caue. Quamuis autem non baptizatus, seu baptizata sint Catholici, & fidem habeant, adhuc non est matrimonium, vt tenent doctores; vnde, cum hæretico, vel hæretica, aut apostata, vel excommunicata, peccatum esset contrahere, tamen tenet matrimonium, vt habet Glossa communiter recepta, cap. non oportet. 28. quæst. 1. vnde fit, quod, si vnus fidelium coniugum incidat in hæresim, vel ad infidelitatem conuertatur, non dissoluatur matrimonium, vt habetur c. quanto, de diuortijs.

Secundum est, quando infideles coniuges ad Christianismum conuertuntur, tunc in suo matrimonio debent perseuerare, quamuis contraxerint contra ius canonicum, dummodo non

do non

do non habeant aliquid contra ius naturæ. Hoc habetur, cap. gaudemus, de diuortijs, vbi notat Papa; quòd si in secundo, vel tertio, vel quarto gradu contraxerunt, adhuc debent manere, quia hi gradus sunt prohibiti iure canonico, quod non obligat infideles. At si in primo contraxerunt pater cum filia, filius cum matre, soror cum fratre, sunt separandi, quia est contra ius naturæ, & à principio nullum fuit matrimonium, etiam antequam conuerterentur. Vnde illi, qui duxerunt plures vxores, si conuertantur, non possunt retinere, nisi primam, cum qua debent manere, quamuis dederint illi repudium. Quòd si ista non conuertatur, tunc possunt de nouo eligere vnã ex conuersis, cum qua contrahant nouum matrimonium.

Tertium est, cum vnus infidelium coniugum conuertitur, altero manente in infidelitate, tunc, si infidelis non vult cohabitare cum conuerso, aut si vult, non id vult, nisi vt inducat in aliquod mortale, aut retrahat in infidelitatem: hoc enim modo dicitur velle habitare cum iniuria Creatoris, cum aliquid petit, quod est peccatum; tunc conuersus potest illum relinquere, & cõtrahere cum altero in Christiana religione. Quando verò coniux infidelis vellet contrahere, relinquendo conuersum in sua libera voluntate seruiendi Creatori, non est relinquendus, iuxta illud Pauli: *Si quis frater vxorem habet infidelem non dimittat illam.* Hoc totum habetur e. gaudemus, de diuortijs.

Quartus est, cum vnus tantum infidelium conuertitur, tunc, si Iudæi sunt, quicumque conuertatur, siue vir, siue femina, paruuli filij debent sequi conuersum, & separandi sunt ab infideli. Ita habetur 28. quaest. 1. c. Iudæi. Et idem dicendum est de alijs infidelibus, qui serui, vel mancipia sunt Christianorum. At verò de alijs infidelibus, liberis, & dominis seruorum, tunc filij sequuntur patrem conuersum, non matrem, c. ex literis, de conuersio. infidel. Hæc intelligo de filijs ante usum rationis; nam de adultis, non sic, sed relinquendi sunt in sua libera voluntate: fides enim sine coactione est prædicanda infidelibus.

De vi, & ordine.

CAPVT VIII.

Circa impedimentum Vis, seu violentiæ, tria dicta sunt aduertenda.

Primum est, Matrimonium per vim, seu metum contractum, licet interior fuerit consensus, nullum est. Ita habetur cap. cum locum, & c. veniens i. de sponsal. & cap. significauit, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit. Tamen hic notare oportet, quod non quicumque metus dirimit contractum matrimonium, sed debet esse cadens in virum constantem: solet communis regula adhiberi hunc explicans, nimirum, quando maius est malum id, ex cuius metu id facit, quam illud quod ex metu facit.

Primo, cum minus malum facit, vt euitetur maius malum, vnde metus mortis propriæ, aut filiorum, aut rei furmissio, aut verum, aut carceris perpetuæ, dicitur metus cadens in virum constantem: maiora enim sunt hæc mala, & similia, quam ducere vxorē, & contrahere cum quacumque, cui qua licitè potest contrahi: talis metus dirimit contractum, non alius, cum minus est, quod timetur, quam quod ex timore malum contrahitur.

Secundum est, si post violentiam, is, cui incussa est vis, consentit etiam tacitè, manente altero coniuge in suo consensu, est matrimonium. Ita habet cap. ad id, de sponsal. & potest accipere is, qui passus est violentiam, si vult, alterum coniugem, cui non est violentia incussa, etiam nolentem, & mutuantem propositum, si fuit talis consensus post violentiam.

Tertium est, si post violentiam intercessit copula, in foro exteriori compellentur ad contrahendum, & reputabitur matrimonium, at in foro interiori non censetur matrimonium, nisi fuerit consensus maritalis. Hæc de impedimento isto.

Circa ordinis impedimentum aduerte, quod, qui accipit subdiaconatum, & reliquos maiores ordines, habet votum solenne castitatis, licet ipse interius noluerit se obligare ad hoc, cum sumebat ordines: nam ex ipsa sumptione obligatur, secundum modum, quod Ecclesia eos dat; & illa notio fuit so-

lum

lum noleiras, qua nollet se obligare; tamen absolute voluit, dum voluit ordines suscipere. Hoc autem verum dirimit contractum: & qui sic intendit contrahere, peccat mortaliter, & excommunicationem ipso facto incurrit, Clementina vnica, de consanguinitate, & affinitate: quæ excommunicatio, Episcopalis est. Aliqui dicunt, etiam contrahere irregularitatem; inter quos sunt Palud. 4. in dist. 37. quæst. 1. Ant. 3. part. tit. 1. cap. 8. Nauarr. cap. 22. num. 52. sed non probatur hoc per textum aliquem; ob id, incertum est.

De impedimento ligaminis.

CAPVT IX.

Impedimentum ligaminis est matrimonium ratum, non consummatum: cum enim aliquis contrahit cum aliquo per verba de presenti, non tamen est subsequuta copula, dicitur matrimonium ratum, non consummatum; hoc autem impedit, ne, vno viuente, alter coniugum contrahere possit cum alio; & si contrahit, nullum est matrimonium, licet consummatum per copulam, & habeat filios, sed deber redire ad primum, cap. de despon. duorum. Ante Concilium Tridentinum, magnum sequebatur inconueniens; aliquando enim homines secundo contrahabant, nec poterant redire ad primum; quia primum forte fuerat clandestinum, & in foro exteriori probari non poterat: vnde cogebatur ab eodem foro exteriori manere in secundo, quod non erat matrimonium: at forum interius obligabat ad primum; ob id, Concil. Trid. vti diximus superius, matrimonia clandestina futura annullauit, nec vllum voluit esse matrimonium, quod non posset etiam in foro exteriori probari: vnde prædicta discordia cessat inter vtrumque forum.

Hic duo aduerte.

Alterum est, cum vnus coniugum, altero viuente, ipse tamen eum putans mortuum, probabili æstimatione ducit aliam, vel contrahit cum alio, non peccat; etiam si reddat, & exigat debitum, cum tamen primum sciuerit viuere, non amplius reddere debet. Quod si dubium tantum fuerit aliquod, abstinere a petendo, licet non a reddendo. Ille tamen coniux, qui viuus reuersus fuerit, tenetur recipere suam coniugem, nisi probetur

E e e habuisse

habuisse copulam cum secundo, postquam scivit illum esse superstitem. Ita tenet communis opinio Doctorum. Circa istud impedimentum tamen, nota, quod debet, non leuis, sed probabilis esse existimatio, qua putat coniugem mortuum, aliàs peccat contrahendo cum secundo. Probabilis existimatio absque scrupulo ea erit, quam iudex probabit, vel viri prudentes, vel ipse Confessarius cordatus, omnibus perpensis circumstantijs, iudicabit.

Alterum est, cum aliquis coniux contrahit cum altera, putans suam viuere vxorem, quæ reuera mortua est, non est matrimonium. Similiter, cum fit ex parte vxoris, quæ contrahit, putans viuere maritum. Et ratio est, quia tales non habent maritalem consensum, sed fornicarium. Ita habet Nauarr. c. 22. numer. 56. quod intelligitur, quando cum tali existimatioe contrahit, & scit se non posse ducere secundam, viuentem prima, aliàs valet, vt habet Sylu. verb. matrimonium, 3. §. 3. quæ. 13. cum Nauarr.

De impedimento Iustitiæ publicæ honestatis.

CAPVT X.

Iustitia publicæ honestatis insurgit ex sponsalibus, & matrimonio rato, etiam nulla copula carnali intercedente. Quod ex sponsalibus insurgat, habetur c. vnico, de sponsal. in 6. Quod verò ex matrimonio rato, colligit Panorm. cap. sponsam, extra, de sponsal. per locum à minori. si sponsalia, quæ minus ligant, inducunt hoc impedimentum, ergo & matrimonium. Hoc autem impedimentum tale est, quod, qui spondit cum aliqua, non potest contrahere cum consanguinea ipsius, siue ipsa viuentem, siue mortuam, nec ipsa cum consanguineis sponsi, vsque ad quartum gradum, vt notat Panorm. cap. sponsam, de sponsal. Et idem dicendum est de matrimonio de presenti, etiam non intercedente copula. Aduerte autem, vnum ex capit. vnico, de sponsali. in 6. quod hoc impedimentum contrahitur ex sponsalibus, quæ sunt sponsalia sint nulla, propter aliquod impedimentum aliud, dummodo non sint nulla ex defectu consensus: vt, si sponsi erant ante usum rationis, aut amentes; aut dummodo non sint facta in generali; vt, si quis spondet ducere filiam cuiusdam, non de-

tertia

terminando personam ipsam; aut dummodo non sint cum conditione de futuro: tunc enim non contrahitur impedimentum hoc ante conditionem. In reliquis casibus, licet sponsalia nulla sint, inducunt hoc impedimentum honestatis. Circa omnia hæc Concilium Trident. Sess. 24. ca. 3. duo de nouo ordinavit.

Alterum est, quod, cum sponsalia nulla sunt, quacumque de causa nulla sint, non inducunt hoc impedimentum honestatis, sed debent esse valida sponsalia.

Alterum est, Adhuc ista sponsalia non inducunt impedimentum, nisi in primo gradu solo: unde, vir non potest contrahere cum consanguineis sponse suæ in primo gradu solo, cum alijs potest. Idem de matrimonio rato non consummato. Unde Concilium tres abstulit gradus: caput autem Concilij sic habet; *Infirmitate honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non fuerint, sancta synodus annullat, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat.* Hæc de isto impedimento.

De impedimento affinitatis.

CAPUT XI.

Affinitas, est cognatio quædam ex copula carnali procedens: quando enim habent copulam, duo consanguinei illorum affines sunt inuicem; insurgit autem affinitas, non solum ex copula licita matrimonij, sed etiam ex copula illicita, ut habetur capit. discretionem, de eo, qui cognoscat consanguineam uxoris. Debet tamen esse naturalis copula inter virum, & feminam, & non contra naturam, sed secundum vasa naturalia, alias non contrahitur affinitas, ut habetur capite extraordinarium, 35. quæst. 3. Notant autem Doctores, quod debet esse talis copula, in qua vir seminat: si enim non seminat vir, licet intret claustra femine, & licet femina seminet, non contrahitur affinitas. Hæc affinitas extenditur vsque ad quartum gradum, ut habetur capit. non debet, de consanguineis & affinis. Vir enim non potest contrahere cum consanguineis femine, cum qua habuit copulam, intra quartum gradum: similiter nec femina cum viri consanguineis in 4. Circa hoc autem Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. vnum disposuit, quod, cum affinitas provenit ex copula illicita, non

extendatur nisi ad duos primos gradus tantummodo: hic tamen aliquot sunt aduertenda.

Primum est, cum affinitas superuenit alicui matrimonio iam rato, non soluit illud, sed facit; ut, qui fuit in culpa, non possit petere debitum citra dispensationem, sed solum reddere: v. gr. sunt duo iam coniugati de presenti, vnus habet rem cum consanguinea alterius in secundo, iuxta Concilium contrahit impedimentum, ut non petat debitum: tamen cum est ante ratum matrimonium, tunc impedit contrahendum, licet sint sponsalia; & si contrahatur ante dispensationem, nullum est matrimonium.

Secundum est, Aliquando incidit, ut simul sit impedimentum affinitatis, & honestatis, & tunc, qui petit dispensationem debet vtrumque saltem implicite declarare, alias inualida est dispensatio, ut tenet Sylu. ver. matrimonium, §. 24. v. g. Aliquis duxit Mariam vxorem, cum, qua habuit copulam, consummando matrimonium, hic, ratione matrimonij solus, contrahit impedimentum honestatis cum consanguineis vxoris vsque ad quartum gradum, ratione copulae cum eisdem contrahit affinitatem, moritur vxor, & vult contrahere cum consanguinea vxoris in tertio, si iste petat dispensationem hoc modo, quod vult contrahere cum affine in tertio, non valet; nam non exprimitur honestatis impedimentum: si vero dicat, cum consanguinea vxoris in tertio; tunc est valida, quia vtrumque implicite exprimitur.

Tertium est, aliquando accidit, quod coniunguntur impedimenta honestatis, & affinitatis; sic, ut homo, qui ante peccarat vnam duam ducere, postea vero neutram, sine dispensatione: V. g. mater habet filiam, quam vult despondere cuidam, & vere despondet, post sponsalia ille habet rem cum matre, vel sorore sponsa, tunc, ratione affinitatis, non potest contrahere cum sponsa sua, ratione vero honestatis, non potest cum matre, nec sorore, nec cum alijs intra quartum gradum; & si contrahere intendat, quamuis habeat filios, & filias, nullum est matrimonium, nec potest cum filia, nec cum matre, citra dispensationem, contrahere.

De impedimento impotentia.

CAPVT XII.

Impotentia coeundi, impedimentum est dirimens contrahendum, & impediens contrahendum, sicut praedicta impedimenta-

menta. Illa autem dicitur impotentia, qua non potest semen effundi, ut bene notavit Panorm. c. quod sedem, de sponsa. unde castrati utroque testiculo non possunt contrahere, quicquid alij velint: similiter, nec qui membra habet abscissa, aut talia, ut non possit in vas foeminae emittere. Similiter foemina tam arcta, ut non possit semen recipere, nec arte medicorum remedium ullum esse potest citra abscissionem, quam non tenetur pari, non potest contrahere. Similiter, qui ex complexione naturali, vel ex infirmitate contracta, non potest seminare, qui dicuntur frigidi; & qui arte demonis impediti sunt a generatione, id est, seminis effusione, qui dicuntur maleficiati, non possunt contrahere, ut habetur tit. de frigi. & malefic. per totum: qui tamen possunt seminare, licet steriles sint, possunt contrahere. Aduerte tamen duas esse condiciones necessarias, ut impotentia haec sit impedimentum.

Altera est, ut praecedat matrimonium: si enim superuenit matrimonio rato, non dissoluitur matrimonium, & tunc, qui eunuchus esset, non peccaret cognoscendo uxorem, ut notant Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. & Nauar. cap. 22. num. 6. licet non speraretur generatio futura.

Altera est, quod impedimentum sit perpetuum: nam si est temporale, non dirimitur, & iura solent expectare triennium ad examen impotentiae huius. Aliqui solent assignare tertiam conditionem, dum modo sit ignorantia: nam si utrique sciunt tale impedimentum, dicunt posse contrahere: sed oppositum est tenendum, id est, non esse matrimonium, & ita tenet Panorm. Hostie. Innoc. cap. consulta, de sponsal. & Nauar. loco citato. Est autem differentia inter frigidum, & maleficiatum; nam iura non concedunt frigido, ut post separationem ab una, ducat alteram, quia, quod naturale est, respectu cuiusque est, at maleficiatis concedunt, quia aliquando demon impedimentum facit alicui respectu vnus, non autem respectu alterius. Ita habet S. Thom. 4. sent. dist. 34. art. 3. Armilla.

vet. matrimonium, §. 49. lege canones de frigidis, & maleficiat. Haec de impedimento impotentiae.

(.:.)

De impedimento conditionis & raptus.

CAPVT XIII.

Quadruplex potest conditio poni in matrimonio. Una est contra bonum matrimonij: sunt contra bona matrimonij, proles, fides, seu fidelitas, & indissolubilitas. Potest ergo poni conditio contra aliquod horum. Contra prolem, sic, duco te vxorem, si sumptis potiones, ve fias sterilis: Contra fidelitatem, sic, duco te vxorem, si promiseris postea copiam tui his, quos ego signaero. Contra indissolubilitatem, sic, duco te vxorem, si non inuenero postea aliam ditriorem te. Hæc dicitur conditio contra bonum matrimonij. Et huiusmodi positæ conditiones, faciunt matrimonium nullum 22. q. 2. can. solet, can. aliquando.

Secunda conditio dicitur turpis, quando sub conditione petitur aliquod peccatum, quod tamen non est contra bonum matrimonij; vt, duco te vxorem, si occideris tuum patrem: nubo tibi, si furatus fueris postea centum aureos. Huiusmodi dicitur conditio turpis, & hæc habetur pro non apposta, & si interfuit verus consensus de præfenti, est matrimonium, etiam si in foro exteriori non censetur matrimonium: conditio enim turpis habetur pro nulla, c. i. de conditio. appostis.

Tertia conditio est impossibilis; vt, duco te vxorem, si pater consentiat; & tamen qui talem conditionem ponit, scilicet patrem esse mortuum, talis conditio habetur pro non apposta, sicut de turpi dictum est, & censetur matrimonium in exteriori foro; & si interfuerit consensus interior de præfenti, etiam in foro interiori est matrimonium.

Quarta conditio est honesta; & hæc duplex est.

Vna est de præfenti, aut præterito: vt, contraho tecum, si es diues, cōtraho tecum, si patrem es alloquutus, & tunc, stante conditione, est matrimonium, non stante, non est matrimonium.

Alia est de futuro: vt, contraho tecum, si dederit mihi pater tuus centum aureos; tunc, cum conditio implebitur, sic matrimonium, perdurantibus illis in sua voluntate: ante conditionem vero impletam non est matrimonium; & si vnus interim contrahat cum altera, tenebit hoc secundum matrimonium, sed peccabit moraliter sic contrahens. De ista condi-

tione

tionē honesta tractatur, de condit. appo. cap. super ea. Huiusmodi conditionata matrimonia de presenti, vix iam possunt accidere post Concilium Tridentinum, secundum quod, ut diximus, clandestina matrimonia annullantur; at in sponsalibus, quæ possunt fieri clandestina, possunt facilius accidere.

Post Conc. etiam Triden. sess. 24. c. 6. nouum aliud impedimentum habemus; puta, raptus: cum enim aliquis rapit feminam e domo parentum, aut eorum, in quorum est cura, ipsi inuitis, non potest contrahere cum illa toto illo tempore, quo fuerit in raptu; & si contrahit, matrimonium est nullum, sed debet in loco libero constitui; & tunc, si vult, potest de nouo contrahere. Tamen grauis poena est contra raptos illic posita: nam ipsi, & qui illis consilium, auxilium, vel fauorem dederint, sunt ipso iure excommunicati, perpetuo infames, omnium dignitatum incapaces; & si clerici sint, de proprio decidunt gradu; & raptor tenetur dotare raptam, siue contrahat cum illa, siue non. Hæc sunt impedimenta prioris generis, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. Alia sunt secundi generis, quæ tantum impediunt contrahendum, tamen non dirimunt contractum, in quibus peccant quidem attentantes contrahere, sed matrimonium contractum tenet. De horum singulis tractandum est in sequentibus modo capitibus.

*De impedimentis Interdicti, & Voti, Sponsalium,
& Catechismi.*

CAPVT XIV.

Quinq̄ sunt impedimenta, quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum. Huiusmodi sunt, interdictum, votum, sponsalia, catechismus, crimen.

De interdicto nota cum Episcopus, Vicarius, aut iudex interdicat aliquibus, ne contrahant, donec causa aliqua, aut impedimentum examinetur, tunc tali interdicto prohibetur sub mortali, ne contrahant; tamen si contrahant, tenet matrimonium, nisi aliud de prædictis impedimentis prioris generis interfuerit. ita habetur c. primo, secundo, & tertio, de matrimonio contracto contra interdictum.

Secundum impedimentum est, votum simplex castitatis, aut religionis; hoc enim impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, Ci ca quod sunt aliqua noranda.

Primò, qui vouit votum castitatis, aut Religionis, & ante dispensationem cōtrahit, siue de futuro, siue de præsentī, mortaliter peccat; tamen matrimonium est validum, & in hoc omnes conueniunt.

Secundò, qui tale votum vouit, non solum peccat contrahendo, sed consummando matrimonium: nam antequam consummetur matrimonium ratum, potest ingredi religionem, & implere votum, & teneri. Vnde peccat consummando, & faciendo se inhabilem prorsus ad voti implementationem. Hoc tenet Anton 3. p. tit. 1. cap. 4. & est communis sententia.

Tertio, qui vouit votum castitatis, non potest petere debitum, sed tantum reddere petenti expresse, aut tacite, nisi obtineat dispensationem, quam potest dare Episcopus, cum non est facile recursus ad Papam, iuxta Syluest. ver. dispensatio, §. 14. Armilla verò verbo matrimonium, §. 55. tenet posse simpliciter Episcopum dispensare. De voto verò religionis non est eadem ratio, sed potest petere absque dispensatione, quia non vouit castitatem, nisi in religione seruandam. Ita tenet Soto libr. 8. de iustit. & iure. quæst. 2. articul. 1. cum alijs doctoribus.

Quartò, mortuo coniuge, tenetur alter, qui vouit, implere votum, aut castitatis, aut religionis. Quòd si iterum contrahat, incurrit eadem peccata, quæ in primo contractu commissa sunt.

Tertium impedimentum est, sponsalium: qui enim contrahit cum altero de futuro, non potest contrahere cum altero de præsentī, & si contrahat, tenet quidem matrimonium cōtractum, tamen mortaliter peccauit, nisi causa extiterit rationalis, vt dicemus in materia de sponsalibus.

Quartum est, catechismi: cum enim aliquis fuit susceptor in catechismo tantum, & non in Baptismo, aut Confirmatione, tunc contrahit eandem cognationem, quæ in sacramento cōtrahitur, sed cum discrimine: nam, vt diximus, cognatio sacramenti dirimit contractum; at vero ista impedit solum contrahendum, & non dirimit contractum, vt habetur, cap. per catechismum, de cognat. spiritual. in 6. Armilla, verb. matrimonium, §. 60. putat non esse mortale cum hoc

impedimento contrahere, nisi contemptus esset, sed veniale. Sed non audeo ego affirmare, si scienter contrahat, nec video, cur priora obligent sub mortali, & hoc non.

De impedimentis criminis.

CAPVT XV.

Aliquot sunt crimina, propter quæ homo prohibetur, ne possit contrahere, in pœnam criminis, & peccati commissi; contractum tamen matrimonium tenet, nisi aliud obstet impedimentum.

Primum crimen est incestus, cum consanguinea coniugis vsq; ad 4. gradum: v. g. si vxor rem habeat cum consanguineo viri intra 4. aut vir cum vxoris consanguinea, mortuo altero, non potest amplius contrahere ad modum prædictum. Ita habetur cap. i. de eo, qui cogno. consangu. vxor.

Alterum crimen est vxoricidium. Qui suam vxorem occidit, non potest contrahere cum alia. 23. quæst. can. ad mortem. Et aduerte, quod si id facit intentione contrahendi cum adultera, non potest contrahere cum illa, & contractum est nullum; tamen si sine hac intentione facit, tunc est huiusmodi impedimentum, etiam si facit respectu aliarum ab adultera. Sed hoc impedimentum non procedit in vxore occidente virum, quia nullus est canon de hoc, vt tenet Armill. §. 58.

Tertium crimen est, raptus alienæ sponsæ: qui enim rapuit alienam vxorem vel sponsam, non potest contrahere. 27. q. 2. can. statutum.

Quartum est, cum quis sit susceptor filij proprii, malo animo, vt contrahat cognationem cum vxore, ne reddat debitum; talis enim, mortua vxore, non potest cum alia contrahere 30. q. 1. cap. de eo.

Quintum est, occidere sacerdotem, cap. qui presbyterum, da peniten. & remiss. sed ibidem Panorm. limitat, dummodo sit in iudicio damnatus de tali crimine.

Sextum est, si quis monialem in vxorem accepit. 27. qu. 1. can. hi verò. Hæc sunt crimina, propter quæ homo a matrimonio contrahendo prohibetur. Armill. §. 60. pu. a. hæc omnia non prohibere sub mortali; sed, vt iam dixi, non id audeo affirmare: non enim talis prohibitio fieret, & pro crimi-

ne tam graui, nisi obligaret sub mortali. Vnde cum sciens quis contrahit, & absque dispensatione, quam Episcopus potest dare, vix a peccato mortali excusarem, quamuis non constanter affirmem.

De Sponsalibus: quæ dicantur sponsalia, & quibus modis contrahantur.

CAPVT XVI.

Sponsalia sic posse describi videntur, *promissio mutua futuri matrimonij, signo sensibili expressa.* In qua descriptione tres sunt partes.

Prima est, *promissio futuri matrimonij*: non enim sponsalia sunt matrimonia; nec enim fiunt per consensum & verba de presenti, sed de futuro.

Secunda pars est, *mutua*: debet enim esse ex utraque parte, puta, viri, & foeminae promissio: cum enim vnus tantum promittit, tenetur quidem ratione promissionis, seruire quod promissit, tamen non sunt sponsalia: debet enim inuicem alter alteri promittere; ob id, in plurali dicantur sponsalia.

Tertia pars est, *signo sensibili expressa*: hoc enim in matrimonio & sponsalibus necessarium est; vt consensus & promissio signo aliquo sensibili, verbo, nutu, aut alio modo significetur; vt, si duo inuicem sibi promitterent, tamen esset in re tantum promissio, tunc vterque obligaretur seruire promissum; tamen non dicerentur sponsalia, nisi promissiones exterius innotescerent ipsis. Ex his duo sequuntur.

Vnum est, cum sponsalia sint promissiones quædam contrahentium, & promissio sit actus rationis, non fiunt sponsalia, nisi inter habentes vsum rationis. Vnde canones determinarunt, vt ante septennium non essent valida sponsalia. cap. vnico, de desponsat. impub. in 6.

Alterum est, cum sponsalia sint promissiones matrimonij, sequitur, vt in omnibus casibus seu impedimentis, in quibus matrimonium non potest fieri, etiam sponsalia nulla sint: non enim promissio eorum, quæ fieri non possunt, aut licite fieri non possunt, efficaciam habet. Per hæc notum est, quæ dicantur sponsalia.

Nunc de modis, quibus contrahantur agendum est. Hi autem sunt quatuor.

Primus, per simplicem & absolutam promissionem: absolutam, id est, sine conditione; simplicem verò, id est sine aliquo alio onere augente obligationem, ut, cum quis dicit, ego ducam te uxorem, altera autem, ego nubam tibi.

Altero modo, per absolutam promissionem, sed aliquo onere accedente, puta iuramento, donatione annuli, aut alicuius arræ.

Tertio modo, per promissionem conditionatam. Et possunt esse quatuor genera conditionum, de quibus dicenda sunt prorsus eadem omnia, quæ diximus de matrimonio conditionato: ob id non est opus repetere.

Quarto modo fiunt per virtuales promissionem. In cuius gratiam nota, ex c. vnico de desponsat. impuber. in 6. cum duo impuberes, vel vnus impubes contrahunt de presenti, tunc non censetur matrimonium, sed sponsalia: non enim vult Ecclesia illum consensum admittere, nisi tamquam de futuro; vnde æquiualeat promissioni. Anni verò pubertatis in foemina sunt duodecim, in masculo quatuordecim, ante quos non est matrimonium, sed sponsalia, modò iuxta Concilium Tridentinum, nisi talis consensus de presenti sit cum testibus, & Parocho, ut dictum est, nullius est efficaciam, nec æquiualeat sponsalibus: cum tamen ista sunt, procedit Canon antiquus.

De differentijs sponsalium, & matrimonij.

CAPVT XVII.

PRæter dictas differentias sunt tres inter sponsalia & matrimonium.

Prima est iuxta Concil. Triden. sess. 24. c. 1. matrimonia clandestina, quæ non fiunt ante duos aut tres testes cum Parocho, nullam habent efficaciam: at verò per hoc caput non annullantur sponsalia clandestina, sed sunt valida, licet careant testibus & Parocho, quamuis prohibita sint cap. cum inhibito, de clandest. desponsa. vbi olim inhibebantur matrimonia clandestina, & ibi Panorm. intelligenda esse dicit sponsalia; tamen non annullabantur, modò annullantur. In qua re vnam est multum notandum, olim in iure antiquo, vt

habe-

habetur cap. is, qui extra, de sponsalibus, quando sponsalibus accedebat copula cum consensu maritali, fiebat matrimonium: at verò quia iam ad rationem matrimonij pertinent testes, & Parochus, id locum non habet, alias esset fraus contra Concilium facili: duo enim possent sponsalia clandestina contrahere, & statim copulam consummare, & sic esset validum matrimonium clandestinum. Sed quid si sponsalia facta fuerunt coram testibus, & Parocho, & tunc subsequuta est copula: non crederem in hoc casu esse matrimonium, quia non inveniuntur omnia, quæ statuit Concilium.

Altera differentia est inter sponsalia, & matrimonium, quòd matrimonium non potest contrahi, nisi post annos pubertatis vtriusque contrahentis, vt iam diximus ex cap. vnico, de sponsa. impube. sponsalia verò possunt statim post septennium contrahi.

Tertia differentia est, in solubilitate: vinculum enim matrimonij est magis indissolubile: multis enim casibus soluantur sponsalia, in quibus matrimonium solui non potest.

Quorum primus est, quando vterque sponsus soluit promissionem factam: tunc enim, etiam si iuramentum intercesserit, soluitur, & liber vterque manet, vt cum alio possit contrahere. Ita habetur cap. præterea, 1. de sponsal.

Alter casus est, cum alter ingreditur religionem, vt habetur cap. ex publico, de conuersio. & Sylu. ver. sponsalia, q. 12. dicit, quòd statim soluitur per ingressum ante professionem; sed in hoc casu, scilicet ante professionem, matrimonium non solueretur, etiam ratum: nam ratum non soluitur nisi per confessionem, consummatum autem nullo modo.

Tertius casus est, per ordinis maioris susceptionem, 27. quæst. 2. cap. scripsit, vt per subdiaconatum, & maiores ordines.

Quartus est, per votum castitatis communis simplex: si enim votum facit castitatis, & post contrahat, sponsalia nulla sunt, cap. rursus, qui cleri. vel vouen. si verò votum fecit post sponsalia, tunc non annullantur, vt habet Armill. ver. sponsalia, & Nauar. c. 22. nu. 25. nisi sit votum religionis: tunc enim tenetur ingredi, vt dicit Nauar.

Quintus est, per matrimonium de præsentibus cum altero, siue consummatum, siue non, licet peccet mortaliter, qui, validis existentibus sponsalibus, contrahit cum altera de præ-

senti,

fenti, tamen tenet matrimonium, cap. sicut ex literis, de sponsal.

Sextus est, quando vnus illorum in longinquas partes abit, vnde incertus est reditus; tunc enim soluuntur sponsalia, cap. de illis, de sponsali. nec secundum Canones expectandum est tempus, licet leges ciuiles definiant tempus duorum annorum in eadem prouincia. Cod. de sponsal. l. 2. & trium annorum in aliena prouincia, Cod. de repudijs l. 2.

Septimus casus est, cum superuenit affinitas, vt, si sponsus habuerit rem cum consanguinea sponsæ, vel e contra intra quartum gradum, & post Concil. Trident. intra secundum, cum copula est illicita, tunc sponsal. soluuntur.

Octauus est, quando ante annos septem duo contraxerunt sponsalia per parentes, & postea peruenientes ad tempus legitimum, noluerunt ratificare; tunc enim soluuntur sponsalia, cap. de illis l. de desponsa. impub. & tunc per huiusmodi sponsalia, non producit impedimentum publicæ honestatis, quia deest consensus, cap. literas, de sponsal. impub.

Nonus est, quando fuit signatum certum tempus pro futuro matrimonio, & tunc vnus illorum deest: soluuntur enim sponsalia, & qui fuit in culpa imponitur ei pœnitentia, cap. sicut ex literis, de sponsal.

Decimus, quando post sponsalia vnus illorum contraxit contagiosum morbum, puta, lepram, morbum gallicum, vel similem, aut deformitatem notabilem, vt abscissionem nasi, extractionem oculi, vel quid similis deformitatis: tunc enim soluuntur sponsalia, cap. literas, de coniugio leproforum.

Vndecimus, cum vnus illorum incidit in fornicationem: tunc enim, si alter vult soluere sponsalia, soluet, sed qui fornicatur non potest soluere, nisi prius requirat alterum, an velit, cap. que in admodum, de iureiurando.

Duodecimus. cum alter illorum post sponsalia fit hæreticus, aut infidelis, Canon. non solum, 28. q. 1.

Decimustertius, quando post sponsalia superuenit inimicitia notabilis inter sponsos, tunc potest vnus petere solutionem, secundum Hostien. in summ. verb. sponsalia, §. sine. Coacta enim matrimonia, malos exitus habere solent, cap. requisit, de sponsali.

Decimusquartus, cum sponsa promisit se daturam certam summam pecuniæ, vel apposita est conditio aliqua honesta,

& non

& non est implera, tunc non valent sponsalia, sicut diximus de matrimonio. Nota Nauar. cap. 22. nu. 26. quod cum sponsa tempore sponsalium diues erat, & postea facta est pauper, non tenetur sponsus cum ea contrahere, quia est conditio virtualis, qua omnia bona quæ habet, sponsa promittit sponso.

Decimus quintus, cum est fama, esse inter sponfos impedimentum matrimonij, tunc soluntur. cap. cum in tua, de sponsal.

Decimus sextus, cum vnus illorum est nimis asper & rigidus; vt habet Panorm. cap. veniens, qui cleric. vel vouen.

Decimus septimus, quando superuenit aliquid post sponsalia, quod, si superueniret ante, mutaret animos sponforum ad contrahendum, vt habet S. Thom. 4. distinct. 27. Quod intellige, quando rationabiliter mutaret animos; alias etiam non soluntur sponsalia. His casibus soluntur sponsalia, non autem matrimonium: vnde differentia magna est inter sponsalia, & matrimonium quantum ad solubilitatem; magis enim insolubile est matrimonium.

De peccatis, quæ in ipso matrimonio committi possunt.

CAPVT XVIII.

Multipliciter possunt contrahentes peccare, & in ipso met matrimonio, & in vsu ipsius: in ipso quidem, ex sex capitibus potest procedere peccatum.

Primò, ex parte intentionis, seu interioris consensus: cum enim alter, vel vterque illorum exterius fingunt fictos consensus, & tamen interius non habent, tunc est graue peccatum mortale sacrilegij, contra sacramentum ipsum matrimonij: nec est in foro interiori verum matrimonium, quamuis in exteriori iudicabitur matrimonium, & compellentur simul habitare.

Secundò, ex parte finis. Pro quo aduerte contrahentes posse contrahere ob vnum ex his tribus finibus.

Vnus est, ipsemet finis matrimonij, & prolis, remediū concupiscentiæ, & mura obsequia: &, qui ob aliquid horum contrahit, non peccat, imò benè facit.

Alter est finis malus, qui quidem est mortale peccatum, & tunc contrahere ob talem aliquem finem, mortale est: vt, qui

contrahit, vt abutatur vxore, vt furetur, vt occidat, vt simile quid faciat, mortaliter peccat; tamen matrimonium verum est, & tenet, si cetera, quæ diximus, adsint.

Tertius finis est, cum sumitur pro fine aliquo, qui licitus est contrahenti, tamen non est finis matrimonij, sed, qui contrahunt, faciunt sibi talem finem: verbi gratia, delectari carnali copula, acquirere diuitias ad sustentationem status, licita sunt coniugatis, tamen non sunt veri fines matrimonij: si quis enim contraheret ob ista & faceret finem, peccaret, sed solum venialiter, vt habet Caiet. verb. matrimonium, quia non egredietur à limite matrimonij: vnde non esset mortale. Adde quod ista aliquando sunt motiua tantum, & non finis: mouet enim pulchritudo sceminae aliquem, vt contrahat: sicut Iacob morus fuit à Rachel. Similiter mouet ob delectationem futuram, tunc si ista & similia motiua sunt tantum, & non finis, nullum est peccatum.

Tertio, accidit peccatum ex parte impedimentorum, per quæ prohibentur contrahere, & de hoc dico.

Primo, scienter attentare contrahere, existente impedimento dirimente contractum, est mortale: vt qui contrahunt in gradibus prohibitis, vel cum simili impedimento, & in hoc omnes conueniunt.

Dico secundo, contrahere scienter cum impedimento prohibente, sed non dirimente, est mortale, si impedimentum sit interdictum, votum, & sponsalia: at si sit aliquid aliorum. Caietan. & Armill. vt supra diximus, tenent esse veniale, licet non multum affirmatiue: sed iam dixi hoc esse dubium. Et vbi talia impedimenta sunt in consuetudine, forsan esset mortale; sed secundum illos Doctores potest Episcopus dispensare.

Dico tertio, solus Papa dispensat in impedimento dirimente contractum: at in vno casu potest Episcopus dispensare, puta, cum intercessit copula; & contraxerunt in facie Ecclesie, & impedimentum est occultum, & scandalosa esset separatio, nec est facilis recursus ad Papam propter paupertatem, vel aliam causam; stantibus his, posset fieri dispensatio per Episcopum, etiam in gradibus prohibitis, & alio simili impedimento. Ita tenet Syl. verb. dispensatio. §. 15. & Tabien. verb. eodem. §. 14. & Armill. verbo eodem. §. 19. & 20. Nauar. cap. 22. num. 86.

Dico quarto: qui contrahunt cum talibus impedimentis ante habitam dispensationem, etiam cum spe certa habendam, mortaliter peccant, & nullum est matrimonium, &

habita

habita dispensatione, opus est de nouo contrahere, quia semper manet impedimentum, donec actu sit dispensatio facta. Nauar. cap. 22. nu. 87. dicit, quod illi, qui scienter contrahunt, & habent copulam, vt facilius impetrent dispensationem a Papa, debent narrare Pontifici, se illa intentione habuisse copulam, & contraxisse, vt facilius eis dispensaretur, quo non narrato, dispensatio nulla est. Aduertendum tamen est, statutum esse in Concilio Tridentino, session. 24. cap. 5. de reformatione matrimonij huiusmodi contrahentes carere spe dispensationis, cuius verba sunt hæc: Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe consequendæ dispensationis careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit, quod si ignorauerit id fecerit, si quidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijcia ut pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contemplit.

De alijs tribus peccatis in matrimonio acciditibus.

C A P V T XIX.

Accidit etiam quartò peccare ex parte modi: modus autem hic antiquus est; tamen renouatur, & peritur in Concilio Tridentino session. 24. capit. 1. vtilitatur.

Primò, cum aliqui contracturi sunt matrimonium, fiant denunciationes in Ecclesia tribus diebus festis continuis, inter missarum solennia; vt, si forte aliquod sit occultum impedimentum, manifestetur.

Secundo, si forte timetur, ne aliqui malitiosè impediatur, tunc vna solum præmittatur, & si adhuc timetur, nulla præmittatur.

Tertio, cum nulla in tali casu præmittitur, non consummeatur matrimonium contrahentes, sed solum de presenti contrahant; & ante consummationem fiant tales denunciationes, nisi aliter vtiliter fuerit Episcopo: hoc enim ipsius prudentiæ re-

tiæ re-

tiæ relinquitur. Hic est modus, contra quem agere peccatum esset mortale.

Accidit & quintò peccare in benedictione nuptiarum, cum non debito sunt tempore, circa quod etiam Concil. loco allegato disponit.

Primo hortatur, vt coniuges non consumment ante benedictionem: tamen aduerte, quòd si consumment, non est mortale, sed veniale, sicut erat ante Concil. vt habet Armil. v. debitum. & Caiet. ver. matrimonium.

Disponit secundo, vt ista benedictio fiat per Ordinariũ, aut Parochum, vel sacerdotem alium, de eius tamen licentia; & annullat omnem consuetudinem & priuilegium in contrarium, per quod Sacerdos alius ab Ordinario & Parocho poterat huiusmodi benedicere.

Disponit tertio, vt Sacerdos, qui benedicere attentauerit sine licentia horum, sit ipso iure suspensus, donec aliter Ordinario contrahentium visum fuerit. Tempus autem, in quo nuptias celebrare non licet, est triplex; ab Aduentu vsque ad Epiphaniam; a Septuagesima vsque ad dominicam in Albisa Letanijs vsque ad dominicam Trinitatis. An vero isti termini sint exclusiue, an inclusiue sumendi, standum est consuetudini loci. Concilium verò Tridentinum session. 24. capit. 10. abtulit tertium tempus, & secundum limitauit, vt sit à die Cinerum, vsque ad octauam Paschæ inclusiue.

Accidit etiam sexto peccare ratione indispositionis subiectorum: qui enim cum conscientia mortalis huic accedunt sacramento, peccat mortaliter, & priuat se gratia, quæ per hoc datur sacramentum: tamen Concil. Trident. session. 24. cap. 1. de reformatione, hortatur contraicturos, vt per tres dies ante confiteantur & communiceant: peccant etiam, qui excommunicati maiori vel minori excommunicatione contrahunt:

nam excommunicatio a passiva participatione sacramentorum prohibet. His modis peccare in matrimonio contingit.

De peccatis in vsu matrimonij.

CAPVT XX.

Multis modis etiam peccare contingit in ipso matrimonij vsu, qui modi his duobus carminibus continentur.

Sic modus & finis, sine damno, solue, cohare.

Sic locus & tempus, tactus, ne spernitio votum.

Oportet singulas explicare partes.

In primis circa modum cōtingit mortaliter peccare, quando contra naturam, putà, in vase non debito fit copula: quando etiam semen effunditur extra vas voluntariè: His enim duobus modis est mortale. At quando in vase proprio semen effunditur, quamuis modus non seruetur, puta, siue foemina sit superior, siue à posteriori parte semen recipiat, siue alius sit præposterus modus, tunc non est mortale, nisi cum est periculum effundendi semen extra vas; quo periculo non stante, vt dicit Alber. 4. dist. 32 non est mortale, sed si fiat ob delectationem solam, est veniale, si ob necessitatem aliquam nullum est peccatum.

Circa finem, nota, quòd cum coniux accedit vxori tamquam ad non suam, quia nimirum ita accedit, quod habet animum accedendi, licet non esset sua vxor tunc est mortale: qui vero accedit vt suæ, tamen causa delectationis, tunc est veniale. Hæc est doctrina sancti Thom. 4. d. 32.

Circa damnum aduerte, quod accedere ad grauidam, quando est notabile periculum abortus est mortale; quod si nullum est periculum aut paruum, veniale est, quia frequenter est periculum, nisi sit ad vitandam incontinentiam: accedere etiam ad menstruatam, veniale est: quamuis si foemina perpetuum pariatur menstruum, aut sit periculum incontinentiæ, nullum sit peccatum, vt dicit Sylu. ver. debitum, §. 6. Tempore autem menstrui dicit S. Thom. loco citato, quòd non potest foemina petere debitum, sed reddere petenti, primum admonendo ipsum de menstruo: hoc autem peccatum est tantum veniale, quia nullum est periculum notabile, nec impeditur generatio.

Circa illud verbum, *Solue*, nota habere coniugem virumque potestatem supra corpus alterius, ita vt alter de iustitia possit alteri debitum copulæ petere, & qui negat (nulla cau-

face.

sa existente rationabili) mortaliter peccat, contra illud 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem.* Sunt tamen hic notanda aliqua.

Vnum est, quod sunt casus aliquot, in quibus vnus potest negare alteri etiam petenti debitum: de quibus vide Palud. 4. d. 32. & communiter Doctores Theologos ead. diff. & Summistas, verb. debitum.

Primus est, quando est impotens, qui non potest reddere; verum est, quod si sua culpa factus est impotens, mortaliter peccauit in eo, quod se impotentem fecit; tamen postea non facit nouum peccatum in non reddendo post pœnitentiã primi peccati.

Alter casus est, cum timet probabiliter grauem infirmitatem ex ipsa copula: non enim tunc tenetur accedere, nec hoc est contra illud cap. quoniam. de coniug. leprof. vbi dicitur, quod debet accedere ad leprosum coniugem: hoc enim intelligitur cum non timetur contagio consilio medicorum; si enim timetur probabiliter, non tenetur.

Tertius casus est, cum vnus coniugum commisit adulterium: tunc enim perdit ius petendi, & ille alter potest negare absque peccato, nisi etiam ipse commiserit, vt statim dicemus.

Quartus casus est, quando matrimonium est ratum, & nondum consummatum, & vnus vult ingredi religionem, tunc non tenetur reddere petenti. Cap. ex publico, de conuersio. coniuga. assignat tempus duorum mensium, in quo debeat talis deliberare statum, & ingredi, aut reddere debitum.

His adde quintum casum, quando vnus illorum fecit votum castitatis ante matrimonium; aut post, sed ex consensu alterius: tunc enim non habet ius petendi contra votum; & alter negare potest, nisi intercedat dispensatio voti.

Aduerte secundo, aliquando non solum coniugem posse non reddere debitum alteri, sed mortaliter peccare reddendo, & hic casus vnus est, nempe, cum vxor in adulterio pertinaciter manet, seu perseveranter, nec emendatur, tunc maritus tenetur illi non reddere debitum, vt habetur 23. quæstion. 1. can. si quis vxorem. Iste tamen casus limitatur à Doctoribus.

Primo, à Richar. 4. d. 32. quando illa vult desistere à peccato, & non perseverare in adulterio: tunc enim potest reddere maritus absq; peccato, non tamen tenetur.

Secundò, limitatur à Sylu. verbo debitum, §. 1. quando vir timet peccatum in continentia, nisi accedat vxori: tunc enim potest; nec enim tenetur cum periculo animæ procurare correctionem alterius; nam hic canon fuit factus ad emendationem fœminæ.

Tertio, limitatur ab Armilla, verbo debitum, §. 16. quando timentur rixæ graues, & scandalum, nisi reddat debitum.

Quartò, limitatur à Palud. dist. 32. quando nulla speratur emendatio ipsius: cum enim vir non potest corrigere, non tenetur abstinere. Limitatur & ab eodem, quòd solum obligetur vir, non reddere debitum vxori perseveranti in adulterio, non tamen obligatur vxor non reddere viro adultero perseveranti in adulterio: nam canon solum loquitur de viro habente vxorem adulteram.

Aduerte quintò, quod sunt multi casus, in quibus vir tenetur reddere debitum, etiam postquam commisit adulterium, dum modò non perseveret in illo.

Primus est, cum & ipse vir adulterium commisit. Ita habetur cap. significasti, de diuor.

Secundus est, quando potuit prohibere fornicationem, & noluit, vel ipse prostituit vxorem, cap. descriptionem, de eo, qui cognoscit consangu. vxoris.

Tertius, quando vir cognoscens vxorem fornicatam esse, accessit ei. 32. q. 1. can. dixit Dominus.

Quartus, quando vxor fornicata est violenter, vel quia credens maritum mortuum iterum nupsit, vel credens alienum esse suum maritum, accessit, tunc non perdit ius petendi, quia fornicatio hæc est materialis, & non peccatum. Ita habetur 34. quæst. 2. can. cum perbellicam, 32. quæst. 5. canon. proposito.

Quintus casus solet addi, quando vir dedit occasionem fœminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum: tunc, si adulteretur fœmina, tenetur vir reddere debitum. 33. q. 5. can.

secundum verba. & ita dicit S. Thom. 1. Corinth. 7. & Armill. verb. matrimonium, §. 73.

(:)

De alijs peccatis in vsu matrimonij euenientibus.

CAPVT XXI.

Sequitur in carminibus propositis, *cohere*, per quod cohabitatio mariti, & vxoris in eodem toro, & domo significatur: Vnde peccant isti, qui dimitunt vxores suas, & vagantur per alienas prouincias, noluntq; redire ad eas, nec sunt absoluendi, donec firmum saltem propositum habeant, absq; mora redeundi: sunt tamen aliquot casus, in quibus licet separari inuicem.

Primus est, per vxoris fornicationem. 32. q. 1. can. si quis vxorem: non tamen per hoc soluitur matrimonium, ita, vt possint illi de nouo cum alijs contrahere, vt male dixit Caietan. Matth. 5. & 19. hoc enim asserere est hæreticum, vt habetur Concil. Trident. sess. 24. can. 7. non enim soluitur, nisi quoad torum, & habitationem, & in casibus propositis cap. præcedenti, in tertio notabili. Adhuc non licet facere huiusmodi diuortium. Iste autem casus procedit, cum mulier fornicatur, non autem cum vir.

Secundus casus est, cum alter coniugium trahit alterum ad peccandum, ita, vt alter non possit se ab ipso liberare, quin peccet, tunc iste potest se separare ab illo, qui sibi est causa peccandi. Ita habet Innoc. cap. maritus, de adulter. & Palud. dist. 39.

Tertius est, cum alter conuertitur ad infidelitatem, vel fit hæreticus, ita habet Nauar cap. quæsiuit, de diuor.

Quartus est, cum ex mutuo consensu vouent ambo castitatem: tunc enim separantur, quoad torum; & si ex consensu vtriusq; vnus ingrediatur religionem, altero enim ingrediente, vel faciente votum perpetuum continentia, possunt ita separari.

Sequitur in carmine, *sit locus*. Copulam habere in loco sacro, secundum communem sententiam, est mortale. Richar. vero. d. 32. art. 1 & q. 3 & Angelus, ver. debitum. §. 32. limitant, nisi sint violenter in illo loco, puta, tempore belli, aut à iudice se defendant, aut simili causa, & multo tempore illic cogantur esse; tunc enim non esset peccatum. Sylu. verò verbo debitum. §. 3. dicit melius, quod, cum reddit debitum ob pericu-

lum ineontinentiæ, non est peccatum, nec violatur Ecclesia, alias est peccatum.

Sequitur in carmine, *tempus*. S. Thom. 4. d. 32. dicit generaliter numquam esse mortale peccatum copulam coniugatorum ratione temporis; licet enim accedat die Veneris sancti, & nocte præcedente communionem, non est mortale; amen in huiusmodi solennitatibus dicit esse veniale, quamvis accedat ob periculum ineontinentiæ; quia possunt adhibere remedium orationis vel ieiunij, vel simile quid, ne incidant in peccatum. Ego ita credo, nisi cum non ita facile aliud occurrit remedium: tunc nullum est peccatum.

Sequitur in carmine, *tactus*. Caiet. ver. matrimonium, notat, tactus, qui sunt ante futuram copulam inter coniugatos non esse peccatum; qui verò sunt absq; copula, esse veniale: cum verò timeatur pollutio, si cum tali probabilitate, vel eo fine fiant, sunt mortale peccatum.

Vltimum verbum est, *ne spernit votum*. Qui enim vouit castitatem, & contraxit postea, aut qui post contractum, ex consensu coniugis vouet castitatem, non potest copulam habere absq; mortali peccato, nisi prius dispensationem à Papa habeat, de quo iam diximus supra. Hæc sunt, quæ de matrimonio aduertenda videntur.

(. . .)

Finis huius instructionis. Laus Deo.